

Quamobrem dilemma quaquaversum adversarium premit; unde vocatur etiam *cornutum*, seu utrinque feriens. Porrò partim *connexi*, partim *disjuncti* syllogismi naturam induit.

286. *Duplici legi subjacet dilemma*; nam 1° *completa debet esse partium enumeratio*; alioquin adversario pateret effugiendi locus per medium haud expressum, ut in sequenti exemplo. Ferunt enim (resque pervulgata est, quamvis non certa) Omar Mahumetis sectatorem, interrogatum olim a legato suo Amrou, quid agendum esset de Alexandrinâ illâ bibliothecâ, ita respondisse: Vel ii libri eadem continent atque Alcoranum, vel contraria. Si eadem, flammis comburendi sunt, quia inutiles; si contraria, flammis comburendi sunt, quia nocivi.

Cùm verò nonnunquam difficile sit omnes hypotheses posibles numerare aut cognoscere, dilemma facilè verti potest in argumentum sophisticum.

2° *Requiritur ut unaquæque pars ritè concludat*; alioquin *retorqueri* posset, ut sequens argumentum ab Evathlo adversus Protagoram, ipsius magistrum. Ii nempe pacto decreverant ut Evathlus persolveret mercedem cùm in primâ causâ vinceret. Interim res in moram protrahebatur; ex quo Protagoras discipulum suum in jus adscivit, sicque ante iudices eum allocutus est: « Disce, stultissime adolescens, utroque
« in modo fore ut reddas quod peto, sive contra te pronun-
« tiatum erit, sive pro te. Nam si contra te lis data erit,
« merces mihi ex sententiâ debebitur, quia ego vicero; sin
« verò secundùm te iudicatum erit, merces mihi ex pacto
« debebitur, quia tu viceris. »

Ad hæc Evathlus: « Disce tu quoque, magister sapientis-
« sime, utroque modo fieri uti non reddam quod petis, sive
« contra me pronuntiatum fuerit, sive pro me. Nam si judi-
« ces pro meâ causâ senserint, nihil tibi ex sententiâ debe-
« bitur, quia ego vicero; sin contra me pronuntiaverint,
« nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicero. » (*Apud Aulum Gellium, Noct. Attic., l. v, c. 10*).

Quod quidem argumentum ita captiosum iudicibus visum est, ut litem componere ausi non fuerint.

ARTICULUS III

De syllogismo ex parte materiæ spectato.

287. Ratione materiæ præmissarum ex quibus constat, *dividitur* syllogismus in *apodicticum*, *dialecticum* et *sophisticum*. Syllogismus apodicticus ex præmissis aut necessariis, aut certis coalescit, gignitque conclusionem vel absolutè, vel hypotheticè necessariam. Syllogismus dialecticus ex præmissis probabilibus constituitur, et gignit opinionem. Syllogismus sophisticus constituitur ex præmissis reipsa falsis, quamquam verisimiles videantur, et gignit errorem. De singulis agendum est.

§ I. — De syllogismo apodictico seu demonstrativo (1).

Naturam demonstrationis et varias species præstat declarare.

I. De naturâ demonstrationis.

288. Demonstratio *latiori*, vel *stricto* sensu potest accipi. Latiori sensu accepta, est syllogismus præmissis quidem certis, at merè *contingentibus* innixus, ex quibus *hypotheticè* tantùm necessaria conclusio eruitur. — At stricto sensu accepta, est syllogismus præmissis certis *necessariisque* innixus, ex quibus conclusio educitur *absolutè* necessaria.

Porrò tria spectanda sunt in omni demonstratione, scilicet: 1° *prærequisitæ* notiones sine quibus confici haud potest; 2° ipsa demonstrationis *essentia*; 3° illius effectus, sive scientifica conclusio. Singula breviter sunt explicanda.

289. 1° Ut monet Aristoteles, « *omnis disciplina intellectiva ex præcedenti fit cognitione* » (*Analyt. Poster., l. 1, c. 1*). Atqui præviæ illæ notiones quas supponit omnis disciplina seu demonstratio, ad tria pertinent, nimirum ad *subjectum*

(1) Cf. Arist., *Posteriores analyticos libros*, et S. Thom., *Comment. de iisdem*.

de quo inquiritur; ad *attributa* de quibus inquiritur an sub-
jecto convenient; et ad *principia* ex quibus probatur at-
tributa subjecto convenire. Quare ante demonstrationem
cognoscere oportet *vulgari* saltem cognitione, quid sit *sub-*
jectum circa quod versatur scientia, quid sint ejus *attributa*,
et quædam *principia* habere, quorum ope probetur sub-
jecto hæc vel alia attributa convenire. V. g. ut scientia de
Deo, quam Theologiam naturalem vocant, adstrui queat,
necesse est prius scire quid intelligatur nomine Dei, quid
significent attributa de quibus quæritur an ipsi competant,
scilicet unitas, immensitas, intellectus, voluntas, aliæque
id genus; et insuper potiri oportet nonnullis principiis ex
quibus probetur Deum esse, simplicitate, unitate, immensi-
tate, cæterisque proprietatibus insigniri.

290. Porrò *principia duplicis generis distinguuntur*, alia
nimirum *prima* et *communissima*, quæ vocantur etiam *axio-*
mata, alia autem ex primis *deducta*, et diversis scientiis
propria. Priora vocantur ab Aristotele *ex quibus*, quia ex iis
est *primò* demonstratio; posteriora verò *circa quod*, quia circa
hæc variæ scientiæ occupantur, ut numerus in arithmetica
(cf. *Analyt. Poster. I*).

Utrisque id *commune* est ut in eâ scientiâ ejus sunt prin-
cipia non demonstrantur; quippe cum ex ipsis ea adstruatur.
Sed principia prima in nullâ scientiâ demonstrantur, sunt-
que *fundamentum* omnis demonstrationis; dum principia
propria in scientiâ *superiori* demonstrari possunt.

291. 2^o Quod attinet ad *essentiam* demonstrationis, in eo
tota est ut *causam* rei declaret, quia, ut ait D. Thomas, « de-
« monstratio est syllogismus faciens scire »; sed tum « scire
« opinamur cum sciamus causam » (causa enim continet
explicationem rei); unde « consequens est quòd medium de-
monstrationis sit causa » (in *lib. 2 Poster.*, lect. 3^a).

At quælibet causa merito afferri potest pro demonstratio-
nis medio, sive *materialis*, sive *formalis*, sive *finalis*, sive
efficiens fuerit. Et hæc quidem diversæ causæ in diversis
scientiis solent adduci, quanquam non in omnibus æquè sin-
gulæ opportunæ sunt, et in quibusdam, v. g. in mathematicis,

causa formalis propè unica obtinet. — Præterea, aliæ omnes
in hoc postremò conspirant ut ad eam inducant animum,
quoniam ea propriè nos in interiora rerum introducit, dum
cæteræ viam ei tantum expeditam faciunt. Quare rectè dixit
Baco post Platonem obtineri scientiam « *ex formarum inven-*
tionem. » (*De Aug. scient.*, l. III, c. IV, n. 11).

292. 3^o Denique *finis* et *effectus* demonstrationis est *con-*
clusio syllogismi, ex præmissis necessariò promanans, mentis
assensum rapiens ac scientiam gignens.

II. De variis demonstrationis speciebus.

Præstat variarum demonstrationum classificationem af-
ferre, et eas inter se comparare.

1^o *Classificatio demonstrationum*. — Demonstratio conside-
rari valet vel ex parte fontium a quibus sumitur, vel ex parte
modi quo solet confici et procedere.

293. 1. *Ex parte fontium*, demonstratio sumi potest *ab*
extrinseco, vel *ab intrinseco*. — *Si prius*, sumi potest *ab auc-*
toritate; v. g. si Dei existentia probetur ex consensu popu-
lorum; — vel *ex datis* aut *concessis* ab adversario; v. g. si
probaretur adversus eum qui admittit certitudinem subjec-
tivam et objectivam rejicit, primam sine secundâ stare haud
posse, ac proinde secundam etiam ab eo debere admitti; —
vel *ex consecrariis* falsis aut pravis quæ sequerentur, aliquâ
propositione negatâ; v. g. si probetur materialismum esse
rejiendum, quia mores evertit. — Demonstratio ab extrin-
seco vocari adhuc potest *indirecta*, quia non ex ipsâ re pro-
bandâ, sed ex aliâ re cum eâ conjunctâ petitur.

Si posterius, si nimirum demonstratio sumitur *ab intrin-*
seco, seu ab ipsâ re probandâ, vel exhibet causam rei
proximam et *completam*, imo necessariam, et ab Aristotele
vocatur *propter quid*, quoniam essentiam rei apertè declarat;
v. g. si probetur animam humanam immortalem esse, eò
quòd est spiritualis. Vel exhibet solum causam *remotam* et
incompletam, et dicitur ab Aristotele demonstratio *quia*, eò
quòd imperfectè naturam rei explicat; v. g. si probetur ani-
mam humanam immortalem esse, quia cogitat.

Demonstratio *ab intrinseco*, quæcumque sit, dici etiam potest *directa*, cùm ex re ipsâ probandâ sumatur.

294. 2. *Ex parte modi quo procedere vel confici solet*, demonstratio dividitur in demonstrationem *a priori* et *a posteriori* (1), et *circularem* aut *regressivam*.

Demonstratio *a priori* ex eo nomen suum habet quòd *probat effectum per ejus causam*; causa enim ontologicè prior est effectui; v. g. si probetur Providentia ex bonitate, vel sapientiâ Dei; — Demonstratio *a posteriori* sic vocata est, *quia probat causam per ejus effectum*; effectus enim posterior est suâ causâ; v. g. si probetur divina Providentia ex mirabili ordine quo hic mundus adspectabilis decoratur. — Demum demonstratio *circularis*, ab Aristotele sic nominata est, quia componit demonstrationem *a posteriori* et *a priori*, quatenus *ex effectibus ascendit ad causam, et ex causâ jam cognitâ regreditur ad effectus penitus inspiciendos*; v. g. probatâ Dei existentia, ope rerum mundanarum, ex Deo regredi licet ad res mundanas iterum explorandas, et inquirere quomodo ab eo procedant, quasve cum eo habeant relationes.

295. 2^o *Comparatio variarum demonstrationum*. — Ea porrò institui potest vel ex parte illarum *perfectionis*, vel ex parte illarum *usûs*.

Ratione perfectionis, demonstratio *ab intrinseco* facile vincit demonstrationem *ab extrinseco*; prior enim ostendit *quid res sit* eamque per causam explicat; posterior autem ostendit solum *quòd res sit*, quin ejus explicationem exhibeat. — Item demonstratio propter quid vincit demonstrationem quia, siquidem perfectiùs explicat rei naturam; demonstratio verò *a priori* potior est demonstratione *a posteriori*, tum quia consona est ordini quem sequitur natura, tum quia magis explicat essentiam rei. — Demum demons-

(1) Apud Aristotelem præcipua divisio demonstrationis est propter quid et quia; ad eam enim alias reducere solet; apud recentes autem præcipua divisio est *a priori* et *a posteriori*. — Divisio Aristotelis potior est, quia sumitur ex rei naturâ, dum divisio recentium sumitur præsertim ex processu.

tratio *circularis*, in scientiis præsertim quæ circa res contingentes occupantur, quàm optima dicenda est; tum enim perfecta est scientia, cùm simul effectûs et causæ naturam mutuasque relationes perspicere licet.

2. *Ratione usûs* demonstratio *ab intrinseco*, præsertim autem *propter quid*, non est semper *possibilis*, quia non semper comperta nobis est rerum essentia. — Cùm verò possibilis est, non semper *expedit*; non enim adhibenda est cum hominibus mediocri ingenii, quippe qui eam, ob suam difficultatem, aut parùm aut minimè caperent. E contrâ demonstratio *ab extrinseco* id habet commodi quòd vel a rustico intelligi queat. Sub eo respectu, demonstratio *ex datis*, licet non habeat nisi vim *relativam* (quare vocatur etiam *ad hominem, vel ad aliquem*), utpote quæ nititur tota *in concessis*, exhibet sese non solum apertam, sed etiam omnino irrefutabilem. Resistere quippe adversarius nequit, qui propriis armis debellatur. Itaque in *controversiis* solet esse frequentioris usûs.

Si autem inquiretur *generalis* regula, respondebimus demonstrationem *ab intrinseco* in *scientiis* primas partes habere, demonstrationem verò *ab extrinseco* in *Rhetoricâ* et in *vita consuetudine* opportuniorem videri.

§ II. — De syllogismo dialectico (1).

Dicemus 1^o de illius notione, 2^o de illius utilitate, 3^o de locis e quibus sumuntur argumenta dialectica.

I. De notione syllogismi dialectici.

296. Syllogismus dialecticus *is est qui ex præmissis probabilibus, aut quarum una saltem est probabilis, conficitur*. Conclusio enim tantum probabilis erit, etiamsi altera præmissarum certa sit, si altera sit duntaxat probabilis, vi regulæ :

Pejorem sequitur semper conclusio partem.

(1) Cf. Aristotel., *Topica*, Ciceron., *Topica*, et Bossuet, *Log.*, l. III, c. 20.

297. Porrò, docente Aristotele, id ceu *probabile* habendum est quod tale videtur « aut omnibus, aut plurimis, aut « doctis; et ex his, aut omnibus, aut plurimis, aut celeberrimis, a communi (tamen) opinione non abhorrens ». (*Topic.*, l. I, c. VIII). Hæc nota probabilitatis sumitur *ab extrinseco*. Alia autem sumi potest *ab intrinseco*, cum scilicet res in se inspecta, non certâ quidem, solidâ tamen *ratione* nititur. Hæc porrò potest esse vel *mathematica*, vel *moralis*, prout calculo definiri valet, ut in physicis, vel solum circiter taxari, ut in moralibus accidit.

298. Generatim conclusio dialectica versatur in materiâ *contingenti*, cujus ea est natura, ut diversis opinionibus det locum; dum quæ sunt in materiâ necessariâ haud possunt in utramque partem agitari. — Attamen, nonnunquam fieri potest ut veritates etiam naturâ suâ necessariæ probabiles tantum alicui videantur; e. g. si quis spiritualitatem animæ humanæ exinde tantum colligeret, quod a pluribus admittitur non haberet scientiam illius, at solum opinionem.

II. De utilitate syllogismi dialectici.

299. Plurimam utilitatem præstat syllogismus dialecticus. Nam 1° *confert ad acumen ingenii exercendum*; habitudo veritatis *absolutæ* minuit acumen necessarium ad percipiendam veritatem *relativam*, ut oculi fulgidæ luci assueti diluiores coloris aspectus non capiunt, nec nisi tenebras habent, ubi alii quamdam secernunt claritatem. Porrò minus certè acutus est qui verum duntaxat proximum et apertum videt, quàm qui ex tenui etiam indicio illud præsentit et a longinquo odoratur. Ita igitur admove mentem ad res in quibus obtinet demonstratio, ut sponte possis ad minores declinare et ex luce transire ad crepusculum. — Cæterum, processus dialecticus humanæ rationi miris modis consentaneus est, quæ cum in ignorantie statu nascatur, nonnisi pedetentim ad veritatis cognitionem devenit. — 2° *Confert ad progressum scientiæ*; tum quia sæpe ubi quæstiones hinc inde perpense sunt, magis animo cernuntur, et quod prius probabile tantum habebatur, haud rarò deinde certum evadit; tum

quia, definitâ semel *principali* quæstione, spectat ad syllogismum dialecticum *secundarias* movere quæstiones, quæ ad principalem accedunt eique novam lucem conciliant. — 3° *In agendâ vitâ frequentissimi est usus*, quia in re contingenti certitudo rarò haberi potest; unde, ut notat Bossuetius (1), hominum relationes ac varia consilia sæpius pendunt a calculis probabilitatis.

III. De locis e quibus, ceu ex fontibus, sumi possunt argumenta probabilia.

300. Loci definiuntur *fontes quidam communissimi, unde argumenta probabilia desumere licet, pro variis rerum circumstantiarumve materiis*. Quum nonnisi quatuor dialecticæ quæstiones numerentur, scilicet de *genere*, de *definitione*, de *proprio* et de *accidente*, omnia argumenta probabilia reduci oportet ad unam ex his quatuor.

301. At verò argumenta ista multiplici ex *fonte* possunt accipi; hinc multi *speciales* loci a philosophis et rhetoribus distinguuntur; ab aliis decem, ab aliis decem et septem (2), aut etiam plures. Sed non pauci ex his locis *redundant*, ideoque ad numerum pauciorum revocari queunt.

(1) « Ce genre d'argument est le *plus fréquent dans la vie*; car les pures démonstratives ne regardent que les sciences. L'argument vraisemblable ou conjectural est celui qui décide les *affaires*, qui préside, pour ainsi parler, à toutes les *délibérations*. Il est donc d'une extrême importance d'apprendre à bien faire de tels raisonnements, sur lesquels est fondée toute la conduite... (*Log.* l. III, c. 17).

(2) Sic Tullius, qui eos repetit a definitione, a partitione, a notatione (tum notatio quum ex vi verbi argumentum aliquod elicatur) a conjugatis (conjugata dicuntur quæ sunt ex verbis ejusdem generis. Ejusdem autem generis verba sunt quæ orta ab uno variè commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia. Hujusmodi est argumentum, si Respublica verè ordinata sit, omnia in ipsâ secundum justas leges ordinantur), a genere, a formâ, a similitudine, a differentiâ, a contrariis, ab adjunctis, a consequentibus, ab antecedentibus, a repugnantibus, a causis, ab effectis, a comparatione majorum, minorum, parium, a testimonio (*Topic.*, c. II et V). — Quare accurata locorum dialecticorum notio philosopho et oratori perutilis est, quia utrique præbet amplam copiam principiorum, unde varia possit argumenta sumere ad disserendum, vel disputandum, vel suadendum.

302. Nos ergo illorum sententiam probamus, qui *tres* duntaxat communissimos locos admittunt, nempe *analogiam*, *hypothesim*, ac *testimonium* sive *auctoritatem*. Etenim aliquid probabile habetur, vel quia rei simili convenit; hinc *analogia*; vel quia, ipso supposito, explicatur causa nondum cognita; hinc *hypothesis*; vel quia consonat testimonio multorum ac peritorum; hinc habetur *auctoritas*, licet ea, ex dictis, non rarò certitudinem conferat.

Quoniam verò de auctoritate satis in Criteriologiâ (n. 82-130) disputavimus, pauca tantùm addere operæ est de analogiâ et hypothesi.

303. 1° Analogia est *quædam inductio vi cujus ex aliquâ, imperfectâ licet, similitudine, inter proprietates vel effectus, concluditur ad similitudinem causarum, et vicissim*. — Dupliciter ab inductione propriè dictâ differt: 1° *Est minus generalis*; inductio enim concludit ex particulari ad universale, ex factis sat multis ad legem, dum analogia concludit ex parte ad partem, ex individuo ad individuum, ut patet in *exemplis et comparationibus*; — 2° *nititur in minori similitudine*; inductio supponit entia de quibus agitur, omnino similia esse et similes circumstantias; analogia contra reponit in aliquâ similitudine cui adversatur aliqua differentia, tametsi minor similitudine, alioquin ea extenuaretur. Itaque meram confert *probabilitatem*. — Ut pensetur ejus vis, attendendum est ad *numerum et magnitudinem* differentiarum.

304. *Usus analogiæ admodum frequens est in consuetudine vitæ, et in scientiis experimentalibus, in quibus sæpe impossibilis est inductio perfecta*. E. g. ex hoc argumento: Si corpora solida et liquida gravia sunt, ergo et aeriforma: inventa est *gravitas aeris*. Et ex eo: Si omnia corpora, sibi dimissa, cadunt, cur non cadit luna? inventa est *lex gravitationis* universalis. Porrò tamen qui arguit ex solidis aut liquidis corporibus ad aeriforma, vel ex terrestribus ad cœlestia, nititur in analogiâ, non in identitate causarum.

305. *Hypothesis est quædam suppositio instituta de causâ probabili alicujus phænomeni nondum cognitâ*.

In hac ratione nititur: Si causa ista, de quâ dubitamus,

existeret, hæc vel ista phænomena produci deberent. Atqui hæc vel ista phænomena producuntur. Ergo causa existit. Vel: Hæc phænomena rectè explicantur, si attribuuntur illi causæ. Ergo illi sunt attribuenda. — At liquidò patet hujusmodi conclusionem non nisi *dialecticam* esse; nam eadem phænomena ab aliâ causâ ignotâ fortè non minùs explicarentur. — Quare, ut hypothesis in certitudinem vertatur, probetur oportet phænomena cognita a nullâ aliâ causâ explicari posse.

306. Hypothesis duplex est *lex*: alia quidem *negativa*, ut scilicet nullam repugnantiam in se includat, et nulli veritati jam cognitæ adversetur: alia autem *positiva*, ut nempe omnia phænomena explicanda explicet; et id quidem satis simpliciter, quia ubi planè sufficit explicatio phænomeni simplicior, explicatio complexa caret ratione, proinde gratuita est et adversa methodo scientificæ.

Quamdiu *demonstrata* non est, vocari solet *theoria*.

307. Porrò plurimus est *usus* hypothesis sive in *vitæ consuetudine*, sive in scientiis, præsertim *experimentalibus* (1); imò verò earum scientiarum *initia* non aliud fuerunt nisi quædam hypotheses, quæ deinceps vim certitudinis obtinere. — Quin etiam ipsæ hypotheses *falsæ* indirectè ad verum conferre possunt, quia *impellunt* animum ad quærendas veriores; is porrò sæpenumerò ad rectam theoriam non pervenit nisi viâ *remotionis*, probatâ scilicet aliarum explicationum falsitate.

§ III. — De syllogismo sophistico (2)

Quoniam errores cum sophismatibus arctè connectuntur, dicemus 1° de sophismatibus, 2° de fontibus errorum ac remediis.

(1) Cf. Cl. Bernard, *Introd. à la médecine expérimentale*, et Naville, *La logique de l'hypothèse*.

(2) Cf. Arist., *De sophisticis elenchis*; S. Thomæ opusc. 39, *de Fallaciis*; Gratry, *Les sophistes et la critique*.

PUNCTUM I. — *De sophismatibus.*

Agendum est 1° de historiâ sophisticis; 2° de generali sophismatum notione ac divisione; 3° de notione cujusque sophismatis.

I. *Sophisticæ historia.*

308. Apud Græcos, sophista, juxta vim nominis, primum erat idem ac sapiens. Postquam verò Protagoras sophisticæ nomen sibi arrogavit, mutata est vocis significatio, quæ jam adhibita non fuit, nisi ad designandos pseudo-philosophos.

Porrò erant sophistæ satis litterati viri qui ad nihil aliud vacabant, nisi aut ad quæstum, aut ad gloriam per ostentationem capessendam. Unde conabantur adducere adversarios vel ad contradictoria asserenda, vel ad affirmanda quædam manifestò falsa, vel ad recipiendas notiones notionibus vulgi ac sapientium oppositas; sed ipsi pugnantia secum argumentis callidis propugnabant, istamque fallacem artem edocebant juvenes. Præ aliis famosi evaserunt Protagoras et Gorgias.

In ævo recenti, sophistarum agmen ducunt Bayle (1647-1706), Voltaire (1694-1788), Hegel (1770-1831). Bayle eadem refellere solet quæ prius asseruit, et in re omni spargit dubia nebulasque; artem verò eam *suam* appellat. — Hunc sequitur Voltaire, qui et *mendacium*, ut regulam amicis suis proponit. — Hegel autem opus omnino singulare aggreditur, scilicet ex professo probandam *identitatem contrariorum* (1).

II. *Notio et divisio generalis sophismatum.*

- **309.** 1° Sophisma *definiri* potest *sylogismus ita confectus, ut specie veri falsum exhibeat*. Hinc duplex elementum continet, aliud vi cujus speciem veri præ se ferat, et vocatur *causa apparentiæ*; aliud vi cujus reapse a vero discedit, et vocatur *causa non existentis*.

(1) Cf. *Histoire de la Philos.*, 3^e part., c. 3, n. 4.

Porrò duplici modo induci potest sophisma, prout componitur ex præmissis revera falsis, quanquam verisimilibus, vel ex præmissis veris quidem in se et *materialiter*, sed ex quibus eruitur conclusio quæ in iis non continetur. *Si prius*, syllogismus peccat *materia*; *si posterius*, *formâ*, eò quòd in eo non servantur syllogismi regulæ, et propterea vocatur *paralogismus*, ex græcâ voce *παραλογίζομαι*, extra ratiocinor. — Attamen recentis quidam philosophi paralogismum habent syllogismum falsum, oppositum receptis vulgò sententiis, non tamen animo fallendi compositum, dum sophisma vocant syllogismum falsum et confectum animo fallendi. Alii verò sophisma et paralogismum indiscriminatim sumunt.

310. 2° S. Thomas post Aristotelem, sophisticata *dividit* dupliciter, scilicet in sophisticata *dictionis*, et *extra dictionem*, prout in *vocibus* tantum, vel in *rebus* ipsis latitant. « Fallaciæ « distinguuntur penes *principia motiva* ex quibus apparet « firmitas in sophisticis argumentis. Hoc autem contingit « dupliciter. Uno quidem modo, ex parte *vocis*, quia propter « unitatem vocis, creditur unitas rei per vocem significatæ. « Alio modo ex parte *rei*, ex eo scilicet quòd aliquæ res, quæ « aliquo modo conveniunt, simpliciter unum esse videntur. » (*De fallaciis*, c. II). De utrisque breviter dicendum est.

III. *Notio cujusque sophismatis explicatur.*

1° De sophismatibus in dictione.

311. Sex fallaciæ dictionis ab Aristotele distinguuntur, videlicet *homonymia*, *amphibolia*, *accentus*, *figura dictionis*, *compositio* et *divisio*.

1. Fit *homonymia*, quum quis *vocem* aliquam *ambiguam* in eodem argumento adhibet in *duplici* sensu; v. g. Taurus mugit. Sed Taurus est mons. Ergo mons mugit.

2. *Amphibolia* est æquivocatio quæ oritur ex *ipsâ verborum constructione*, ac sensum propositionis reddit incertum; qualis est responsio quâ Apollo illusit Pyrrho sciscitanti num Romanis bellum indicere deberet :

Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.

3. *Fallacia accentûs* provenit ex diversitate accentûs, quæ unius vocis immutat sensum. Sophisma istud in linguâ græcâ frequens fuit, utpote maximas in eâ partes habeat accentus. Unum famosissimum exemplum proferemus, ex hæresium historiâ desumptum. Ecclesia catholica B. Virginem Mariam θεοτόκον, nempe *genitricem* Dei esse profitetur. Nestorius porrò, eam quidem θεότοκον agnoscebat, non autem θεοτόκον; accentum scilicet ex penultimâ syllabâ ad antepenultimam transferebat, et contendebat se cum Ecclesiâ catholicâ sentire, quippe qui eodem nomine erga Virginem Mariam uteretur, quo ipsamet Ecclesia. At verò, translato, de quo suprâ, accentu, Maria Virgo non genitrix jam, sed tantum *filia* Dei prædicabatur, nam vox θεότοκος nihil ultra significat.

4. *Fallacia figuræ dictionis* obtinet si *litterali* sensu accipiatur vox *figurato* sensu accipienda : v. g. quidquid ridet est homo. Atqui pratum ridet. Ergo pratum est homo; aut si ob desinentiæ similitudinem, uno eodemque sensu adhibeantur voces quarum diversa est significatio; v. g., amari est pati; ergo etiam operari est pati.

5. *Compositio* est sophisma in quo *a sensu diviso ad sensum compositum concluditur*, sive conjunctè sumuntur enuntiationes quæ nonnisi divisè sunt veræ : e. g., hæc S. Evangelii in sensu diviso accipi debent : « Cæci vident, claudi ambulat, surdi audiunt. » (S. Luc., c. VII, v. 22). At impii, sumptis his vocibus in sensu composito, ita arguunt : contradictoria non possunt esse simul in eodem. Atqui videre et cæcum esse, ambulare et claudum esse, sunt contradictoria. Ergo non possunt esse simul in eodem; et proinde repugnat cæcos videre, aut claudos ambulare.

6. E contrariò sophisma *divisionis* in eo consistit quòd *a sensu composito ad sensum divisum concludatur*, et accipiuntur in sensu diviso quæ vera sunt duntaxat in sensu composito : v. g., ex eò quòd vera sunt in sensu composito hæc D. Pauli : « Neque fures, neque avari, neque ebriosi regnum Dei possidebunt » (Epist. 1^a ad Cor., VI, 10), immeritò concluderetur fures, avaros, ebriosos, a regno Dei excludendos fore, etiamsi ab impietate suâ discederent.

2^o De sophismatibus extra dictionem.

312. Sophismata hujus generis septem ab Aristotele numerantur, nimirum *fallacia accidentis*, *transitus a dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, et vicissim, *ignoratio elenchi*, *fallacia consequentis*, *petitio principii*, *non causa pro causa*, et *sophisma plurium interrogationum*.

1. *Fallacia accidentis* est sophisma in quo proprietas accidentaliter conveniens speciei, tribuitur individuis ejusdem speciei, vel attributum accidentaliter subjecto conveniens, ad ejus essentiam refertur; v. g., si quis ita ratiocinaretur : Homo currit; sed Paulus est homo; ergo Paulus currit. Vel : Iste homo est ebrius, ergo est ebriosus.

Ad fallaciam accidentis revocari potest *enumeratio incompleta*, sive inductio vitiosa, in quâ ad totum refertur quod nonnisi ad quædam individua vel partes pertinet; e. g. : Omnis Æthiops est niger; sed Æthiops est homo; ergo omnis homo est niger.

2. *Transitus a dicto secundum quid ad dictum simpliciter* est sophisma in quo prædicatum subjecto *simpliciter et absolutè* attribuitur, quamvis ei conveniat tantum *secundum quid*, scilicet sub aliquo speciali respectu; e. g., si diceres : Lex vetus est antiquata. Ergo et Decalogus antiquatus est.

Transitus a dicto simpliciter ad dictum secundum quid efficitur, si ex eo quòd aliqua res vera est absolutè, remotâ nempe omni speciali circumstantiâ, concludatur eam veram esse in tali speciali circumstantiâ. In hoc sophisma incurrunt qui, ventri potius quàm Ecclesiæ præceptis inservientes, sic argumentantur : Carnibus vesci non nocet. Ergo non nocet feriâ sextâ vesci carnibus.

Ad hoc genus fallaciæ accedit illud quod a recentibus philosophis vocatur *transitus de genere ad genus*, videlicet ab ordine alio ad alium; v. g. miraculum impossibile est secundum leges físicas; ergo et impossibile est per omnipotentiam Dei.

3. *Ignorantia elenchi*, a græcâ voce ελεγχος, redargutio,